



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opera Varia

Noris, Enrico

Lugduni, 1707

Responsiones P. Francisci Macedi &c. adversus propositiones parallelas Fr.
Joannis à Guidicciolo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72494)

RESPONSIONES

P. FRANCISCI MACEDI

Professoris Patavini, Veneti Civis, &c.

A D V E R S U S

PROPOSITIONES PARALLELAS

FR. JOANNIS à GUIDICCIOLO

COLLECTÆ,

A B

ANNIBALE RICCIO

Veneto, Sacræ Theologiæ Baccalaureo.

Sanctus Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium.

*Nolo in suspitione hereseos quemquam esse patientem, ne apud eos,
qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientia judicetur.*



Abbas P. ...
RESPONSIONES

P. FRANKISCI MACEDONIS
Professoris Patavini, Veneti Civis, &c.

AD
PROPOSITIONES PARALLIUM
FR JOANNIS & GUIDICIONIS
COLLECTA

AD
ANNIBALE RIGGIO
Venero, Sacre Theologie Baccalario

Græce ...
Sed in ...
et ...



ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDIS. PRÆSULID.

CAMILLO PIAZZÆ

EPISCOPO DRAGONIENSI,

Sanctæ Romanæ Universalis
Inquisitionis Assessori.



Uod te, Illustrissime, ac Reverendissime Præsul, novus homo scripto venerarer, ac summa Catholica Religionis rei admotum, importunis vocibus interpellarem, nupera nescio cuius molesti hominis accusatio in causa fuit. Hesternus Censor propositiones parallelas publicavit, conatus demonstrare quasdam Henrici Noris assertiones cum Michaelis Baii erroribus convenire; quam ille opellam Eminentissimis Patribus, qui Catholica fidei sartæ tectæ servanda præsident, nuncupavit. Caterum quàm falso Orthodoxo Scriptori de Baiano nomine invidia consletur, illos solum ignorare arbi-

D iij

tror,

tror, qui ejusdem volumen ignorant : siquidem satis luculenter in eodem ostendit, quam multis parasangis statuta abs se theoremata, à Baii erroribus distent. Verum adversarii importunitas necessaria defensionis mihi onus imponit : ut amico Scriptori brevem quidem, ac tutissimam advectionem commodem, quam sanè veluti compendio agam, ne longiori apologia Te, quem totius Orthodoxi Orbis causa tum difficultate implexa, tum multitudine innumera, diu, noctuque distinet, occupatum, ut inquit Comicus, occupem. Itaque mihi decretum est unius P. Francisci Macedi, cujus vel honorarii tituli satis spatiosam paginam implent, testimonio adversus novum Parallelistam depugnare. Haud arbitror tanti viri fidem delatori suspectam fore : est enim ejusdem non modò Amicus, sed etiam Frater, & , ut suspicor, emissarius. Videlis, Illustrissime Domine, quanta huic causa, quam defendo, fiducia sit, ut vel unius Macedi suffragiis Baianismi nota eximatur. Te per tuam famam, qua ubique cum laude personat, etiam, atque etiam obtestor, ut defensionem, quam ex P. Macedi scriptis Noriso præsto, Eminentissimorum Patrum vestigiis sistas, eosque per Macedum, si superis placet, probabili causa propities.



PARALELLUM

39

Propositionum damnatarum Michaelis Baii, & quarundam similium Henrici Noris.

CENSURA.

Satis inauspicatè opus aggreditur, ac se prorsum in parallelis deducendis novum prohalat, dum vel in ipso titulo mendam admittit: Paralellum scribit,

cùm parallelum scribere debuisset. Hinc facile intelligitur, quàm erroneè parallela concinet, qui vel paralleli nomen cùm errore pronunciat.

ACCUSATOR.

Prima Baii damnata, quæ est in ordine 12. Pelagii sententia est: opus bonum extrà gratiam adoptionis factum, non est Regni Cœlestis meritum.

Prima Noris ejusdem sensus in Vindicis pag. 23. lin. 18. col. 1.

Nunquam Julianus, aliique Pelagiani admisere opera meritoria, sive donantia jus ad gloriam sive gratiâ justificante.

RESPONSIO

Hæc scribit vir Doctissimus tomo 2. Collat. 10. differ. 3. sect. 2. pag. 583. col. 1. *Pelagiani inducebant genus quoddam actuum honestorum naturalium, qui steriles quidem essent vitæ æternæ; sed præditi tamen honestate naturali.* Rectè: Nam ut haberent fructus vitæ æternæ fatebantur cùm Catholicis necessariam esse gratiam adoptionis. Cœlestius apud S. Augustinum in lib. de Pecc. orig. cap. 5. ait: *quia Dominus statuit Regnum Cœlorum non nisi Baptizatis posse conferri, quod, quia naturæ vires non habent, conferre necesse est per gratiæ largitatem.* Vulgare erat Pelagianorum effatum: *non habet unda, quod diluat, habet, quod adoptet.* Sanctus Augustinus lib. 1. Op. imp. cap. 133. hæc contrà Julianum scribit: *dic, quæso, quibus meritis parvulorum debeat Regnum Cœlorum. Dicturus es forè, debere hoc cum gratiæ suæ, quâ opitulante, renati sunt: propter hanc enim acceptam iam venire in ejus Regnum merentur.* Ex his patet, Pelagianos ad meritum Regni cœlestis necessariam putasse gratiam adoptionis; undè pueros hanc gratiam in Baptismo minimè consequutos, cùm Catholicis excludebant à Regno cœlorum, teste Sancto

ACCUSATOR.

Secunda Baii damnata in parallelo, est in ordine 25.

Omnia opera infidelium sunt peccata.

P. MACEDI.

Augustino Serm. 14. de verb. Apostoli. Omnia hæc observat Suarez tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 14. quo loci errorem etiam Baii explicans, ait: *Putavit enim Bajus homini non fuisse necessariam gratiam, nisi ratione culpæ; nam secluso peccato, credidit naturam humanam ex vi sua primæ creationis esse debitam vitam æternam, ità ut acceptari ad illam non sit gratia, seu gratuita adoptio, sed naturale bonum, & quia Pelagiani non adeò errarunt, ut negarent esse necessariam parvulis adoptionem, quamvis negarent habere peccatum; idèd dixit cùm Pelagianis sentire, qui hanc adoptionem gratiæ dicunt esse ad meritum necessariam.* Damnatur enim hæc altera ejusdem Baii Propositio 18. Dicit sentire cùm Pelagio, qui dicunt esse necessariam ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublegetur ad statum Deificum. His consimilia tradit propof. 16. & 19. Itaque propositio illa 12. Baii damnatur, quòd Pelagianæ hæreseos accusarit dogma Catholicum, in quo, teste Suario, Pelagiani non errarunt. Ex his patet, Parallelistam nec Baii, nec Pelagianorum sententias intellexisse.

ACCUSATOR.

Secunda propositio Noris in Vind. pag. 44. lin. 19. col. 1.

Infideles peccant non observando legem, & opera, quæ ipsi faciunt, semper sunt peccata.

RESPONSIO P. MACEDI.

Antequàm eruditi Theologi textum exhibeo, palmam denuncio, accusatorem verba P. Noris malitiosè detruncasse, quòd eundem Bajam fuligine denigraret. Hæc ibidem leguntur: *Undè opera, quæ ipsi faciunt, semper sunt peccata, nisi ubi aliquando Deus quosdam bonos actus, ipsis nescientibus, in eorumdem voluntatibus operatur.* Audin Deum in infidelibus quandoque bonos actus operari, ac proindè non omnia infidelium opera esse peccata, uti per errorem Bajus autumavit? Sententiam P. Noris, uti Augustinianam, & solidè, & fuscè olim defenderat P. Macedus. Hæc scribit in Cortinâ thesi 39. *Omnis actus, qui fit sine ullo fidei lumine, & sine ullo impulsu gratiæ, peccatum est.* Præterèd tom. 2. Collat. 10. differ. 3. sect. 2. pag. 586. col. 1. *Ex his, inquit, primum, quod proposui, probatum manet: scilicet Augustinum sentire omnia opera citrà fidem, & gratiam esse vitiosa: Nam non negat Augustinus Infideles aliquandò bene operari, sed negat operari bene, cùm citrà omnem fidem, & gratiam operantur.* Jam germata Ma-

cedi, ac Noris sententia est, ut non ovum ovo similius sit. At viden, quemadmodum idem Macedus à se Bajam pulverem excutit ibidem sect. 3. pag. 590. col. 2. *Respondetur, ait, Tertio, & melius, me quidem auctore, eas propositiones prolatas à Bajo in rigore, & uni versaliter falsas omnino, & damnandas esse, & prorsus alienas à mente Augustini.* Nam illa prima propositio: *Omnia opera infidelium sunt peccata: ità universim accepta, reprobanda est, cùm multa operantur ab infidelibus indeliberata, & sine advertentiâ; non pauca ex ignorantia invincibili; quedam possunt esse ex lumine fidei, quæ certè peccata non sunt: gregitur falsum est, quòd omnia opera infidelium sunt peccata.* Apparet autem, Augustinum de operibus tantum infidelium deliberatis, & autè omnem fidem, & gratiam, fuisse locutum, cùm dicat ea ex defectui debiti finis prava fore. Hæc ille: quibus satis clarè demonstravit, quàm procul sua sententia, quæ Norisii etiam est, à Bajano errore remota esset.

A C.

Tertia Baii ; quæ est damnata in parallelo in ordine 27.

Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.

R E S P O N S I O

Concinit cum Norisio Macedus in Cortinâ qu. 2. art. 1. pag. 221. his planè verbis: *Negat igitur Augustinus esse huiusmodi actus naturales bonos sine gratiâ: negat esse in nudâ facultate natura: negat eos in infidelibus omni fide, & gratiâ carentibus, reperiri.* Et statim in eadem paginâ addit: *Mentem Augustini per conclusiones expono. Prima sit. Omnes actus sine ullâ omnino fide, & citrà omne auxilium gratiæ esse prapos, & vitiosos, Auctor est Augustinus.* Postea art. 3. pag. 239. inter objectiones, quas contrâ abs se statuta recitat, ponit cum aliis hanc damnatam Baii: *Liberum arbitrium sine gratiâ, & Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.* Adducit pag. 247. plures responsiones: unam brevitatis gratiâ huc appellabo. *Respondetur Secundò, illas propositiones secundum se, & in rigore esse falsas, & contrâ mentem Augustini, uti Bajus eas proferebat: nam, ut etiam notat Vasquez, in eo errore erat Bajus, ut nullum bonum opus admitteret sine fide perfectâ, & gratiâ sanctificante: & patet ex propositione 16. & 60. qui error alienus est à sen-*

A C C U S

Quarta Baii damnata in Parallelo, est in ordine 65.

Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, siue non malus, & gratiæ Dei injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

R E S P O N S I O P. M A C E D I.

Cum vir disertissimus, & acutissimus tum in Cortinâ, tum in altero tomo Collationum locis proximè indicatis, P. Noris sententiam, uti omnino Augustinianam, confirmasset, inter Baii propositiones, quas in Cortinâ pag. 239. & in collat. pag. 588. sibi opponit, tertiam statuit: non nisi Pelagiano errore &c. quam accusator Norisio exprobrat: Illam verò hac responsione confutat pag. 246. Cortinæ, & pag. 590. collationum. *Nunc tertio suis est locus: quod in Michaele Bajo damnabat propositiones Augustini; Huic igitur respondendum primo illas propositiones damnatas fuisse copulativè in rigore, & sensu ab Auctoribus intento, qui non solum suam sententiam stantiebant, sed etiam contrariam sugillabant: ut patet in Secunda, & Tertiâ propositione, unde quemadmodum hodiè vetatur, ne quis carpat, aut damnet sententiam defendentem B. Virginem conceptam in peccato originali, quin tamen utra damnetur opinio; & tantum vetatur scandalum damnandi opiniones contrarias; Ita etiam hæc propositiones non aliter damnantur, nisi prout continent improbationem contrariarum; id enim Bajus agebat, ut Theologos ex diverso opinantes condemnaret: quâ ratione solvit Vasquez in 1. 2. disput. 190. à num. 47. & confirmat testimonio Summorum Theologorum Bellarmini, & Toleti. Hoc clypeo Macedi contrâ intorta pila Noris latus munitur. Idem Macedus Collat. 10. differ. 3. §. Judicium pag. 595. & 596. testimonia Pontificum, Synodorum, Patrum, ac plurium denique*

A C C U S A T O R.

Hic notandum Henricum Norim in Vind. à pag. 56. ad 58. contendere diçum illud Pauli Rom. 14.

Tertia propositio Noris in Vind. pag. 20. lin. 40. col. 1. Sanctus Doctor Augustinus asseruit, nullas in infidelibus ex s. lius arbitrii viribus virtutes reperiri, & si quæ in iisdem virtutes fuerint, easdem nequaquam ipsorum voluntati, sed Divina gratiæ adscribendas esse.

P. M A C E D I.

*rentiâ Augustini, qui tantum requirit fidem, & gratiam inchoatam, & antè justificationem bona opera admittit. Quâ de re videndus Vasquez disp. 218. cap. 3. Præterea idem P. Macedus cum tom. 2. collat. 10. differ. 2. sect. 3. pag. 578. laudasset pro eadem sententiâ Episcopum de Abellis, ac tres Augustinianos, Ariminensem, Casalium, & Poncium, deinde Vasquez, hæc scribit: *Accedit illustris, & virens Auctor Augustinianus P. Henricus Noris, qui in suo erudito Libro de Historiâ Pelagianâ nunc in lucem edito, eo tractatu, quem inscribit: VINDICIÆ AUGUSTINIANÆ: eandem Augustini Doctrinam tradit, munit, confirmat magnâ, & invictâ Sanctorum Patrum auctoritate. Ità vir insignis Baiam objectionem dudum ex Valquo retudit, & magni Augustini sententiam procul à Baianis tenebris in optimo lumine collocavit, ac denique suum in eadem defendendâ Commilitonem Norisium illustri præconio commendavit.**

A T O R.

Quarta Noris in Vind. pag. 21. lin. 15. col. 2.

Censeo hæc opera bona non fuisse facta ab infidelibus suis ipsorum viribus derelictis, sed præmunitis specialibus Divina gratiæ auxiliis.

Scholasticorum addensat, ut probet nullum actum bonum sine Dei gratiâ ab Infidelibus elici posse; voluit autem P. Norim tam nobile, ac validum agmen claudere; *Accedit, inquit pag. 597. novus, & clarus scriptor Noris in suo Libro de Historiâ Pelagianâ nunc in lucem edito, ubi eam probat multorum Patrum auctoritate in Vindiciis Augustinianis cap. 4. §. 5. Tantâ mole auctoritatis, tanto numero Scriptorum nititur hæc sententia. Propterea non possum non magnopere mirari nonnullos Adversariorum audere illam in invidiam vocare. Addit statim: quod obiciunt de Bajo, ut nobis terrorem incutiant, inane est. Jam illam formidinem supra removimus, & in Cortinâ, & in Mente Innocentii, & in lib. de clar. Petri. Eamque objectionem occupaverat, & diluerat Vasquez, Turriamus, Ripalda, & tota Schola Vasqui Complutensis. Quare huiusmodi Auctores in locis supra adductis: Diffabis inanem NUBECULAM. Viden, ut erudito, non enim ventoso dicam, Macedi tui ore, non secus ac Boreâ spirante, diffetur inanis nubecula, quâ Bajanas umbras P. Noris sententiæ importare conabar? At quòd notatiunculas suffarcinas, ut ostendas, auctore Norisio, antiquam Ecclesiam in interpretatione Paulinæ sententiæ cum præsentì committi, ac sub lite dimitti, te magistro usus, parallelo inducto, unius te Macedi verbis castigabo. Scribit ista tomo 2. Collation. different. 3. sectione 4. pagina 597.*

P. M A C E D U S.

Non itaque asserimus cum Bajo nulla opera infidelium esse bona, sed si qua sunt bona, ea ex aliquâ fide, & gra.

Omne, quod non est ex fide, peccatum est; omnino intelligendum esse de fide divinâ habituali. Quo sensu affirmat Augustinum, & antiquam Ecclesiam illa verba Pauli accepisse: quod si verum est, propositio Baii de operibus infidelium, quod omnia sint peccata non potest condemnari, quia sequitur ex illo dicto omne, quod non est ex fide, peccatum est, ut ait Noris, obijciens contra se, sequitur, inquit, omnia opera infidelium esse peccata: Et quidem sequela concludit contra Norim. Tu fateris eo loco pag. 57. illam expositionem dicti Pauli omne, quod non est ex fide, peccatum est, esse Augustini, & Patrum antiquæ Ecclesiæ, ac proinde esse veram: non potest igitur damnari sequela, quod est dogma Baii secutum ex doctrinâ Patrum, & tamen est damnata à Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. in suis Bullis. Ergo vel PP. illi Ecclesiæ antiquæ erraverunt, vel Pontifices malè condemnarunt doctrinam Baii dicentis omnia opera infidelium esse peccata. Quod sanè argumentum concludit contra Norim, tenentem illam esse sententiam Baii, & expositionem Augustini, & Patrum, & sic inducit Noris manifestam contradictionem antiquæ Ecclesiæ, & nostræ sub illis Pontificibus Romanis. Errat manifestè Noris dicendo illam expositionem de fide, esse intelligendam de fide divinâ habituali. Patet evidenter contra ipsum, quia illi PP. non sunt locuti de fide habituali, sed de conscientia dictante, vel de fide illuminante, quæ dicitur irradiatio fidei, &c.

Qui Macedi cum Norisio consonantiam tam manifestam non videt, nã is quidem insigniter cæcus est: Nam Macedus, non modò Noris sententiam probavit, verùm laudata ab eodem testimonia exscripsit, ac suum in volumen transtulit. Cæterum de accusatoris fide hic liceat postulare, qui fingit textum Apostoli intelligendum esse juxta Norisium de fide divinâ habituali, cum Pater Noris in Vindiciis cap. 3. §. 4. ubi ea de re fusius agit, pag. 22. in calce col. 1. hæc disertè pronunciet. *Ex quibus patet ad referenda opera bona in Deum non requiri fidem in Christum, sed satis esse fidem in Deum; imò solam*

A C C U S

Quinta Baii damnata in Parallelo est in ordin. 39. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.

Sexta Baii damnata in Parallelo est in ordine Bullæ 41.

Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine, non reperitur in Scripturis; sed solum nomen libertatis à peccato.

Septima Baii damnata in Parallelo est in ordine Bullæ 66.

Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

Octava Baii damnata in Parallelo est in ordine Bullæ 67.

Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit.

Quod minimè, & testimonia adducta à contrariis pro libertate cum indifferentiâ restringit ad primum genus peccati, in quo est peccatum actualè Atami; in cæteris autem, in quibus est originale, & alia actualia, quæ sunt pœna peccati, ponit necessitatem, & cum ea stare affirmat peccatum; & in hunc sensum affert verba Augustini quando ponit libertatem cum indifferentiâ ad peccandum, uno tantum citato loco, qui est lib. 1. Operis imperfecti cap. 48. & altero lib. 5. ejusdem operis cap. 52. specialiter autem pag. 39. lin. 38. col. 1. celebre testimonium Augustini pro libertate indifferentiâ ad peccandum positum in lib. de duabus animabus cap. 11. Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod Justitia vetat, & unde liberum est abstinere, cum Augustino.

& gratiâ esse. Quo sensu est Augustini conclusio ita intelligentis Paulum Rom. 14. Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Sed quoniam hæc expositio loci Pauli impugnetur ab omnibus contrariis doctrinæ Auctoribus; imò & erroris à nonnullis audacioribus appellatur, quales sunt recentiores quidam PP. Galli, quorum duo errorem appellant, præterquam quòd Ego in Cortinâ olim aliquos pro eâ Patres, ac inter eos magnum Gregorium, & Bernardum produxi, remitto Lectorem ad eruditissimum Patrem Henricum Noris, qui in eâ, quam superius laudavi, Pelagianâ Historiâ, in Vindiciis Augustiniani cap. 4. §. 5. evidenter ostendit, eam esse Ecclesiæ, Pontificum, & Patrum locum illum Pauli de fide prout est virtus Theologica intelligentium. Producit Pontificale Romanum, Leonem I. Bonifacium II. Synodum Byzacenam quindecim Patrum, inter quos fulgebant Fulgentius, qui extra Concilium idem tradidit lib. 2. de Pec. remis. S. Prosperum Epistol. ad Rufinum, S. Isidorum libro de Summo bono cap. 2. S. Bernardum serm. 30. & 31. in Cant. Julianum Pontivum lib. 3. de Vit. contempl. cap. 1. Facundum Hermianensem lib. 1. de trib. cap. ad Imperatorem Justinianum in fine. Quorum testimonia in eis egomet meis oculis vidi, & vetus non fidere alienis, & animadverti Anselmum, quem Vasquez contra Augustinum producit 1. tom. in 1. 2. dif. 59. cap. 2. num. 8. etsi locum Pauli de conscientia intelligat, non improbare sensum Augustini, imò suam illam expositionem ad eum accommodare, &c.

Fidem etiam requisitam sufficere colligitur ex lib. de Patientiâ cap. 26. & 27. Imò eo loci, nunquam fidei habitualis mentionem fecit; undè Accusator imposturæ convincitur. Concludo cum Macedo Collat. 10. cit. pag. 589. col. 1. Perstandum nihilominus in proposito, & sustinendum, Augustinum tria illa quæ statuimus, docuisse, & in eo sensu locutum, quem per conclusiones ejus locis munitas affirmavimus, neque aut ipsum contra aliter, aut contra ipsum Pontifices sensisse, ejusque sententiam tuam, & sententiam esse, longèquæ à Baii sensibus alienam! O sancta veritas! o bone senex!

A T O R.

Nota ejusdem.

Hæc quatuor propositiones comprehenduntur à Noris in Vindic. August. pag. 38. 39. continent eandem doctrinam Baii de libertate; id est posse stare libertatem ad merendum, & demerendum cum necessitate, quia sola violentia, sive coactio repugnat libertati, quæ item fuit tertia propositio damnata in Jansenio. Exscribamus hic verba Noris: quod est deterius, attribuit illud Augustino cum Calvino, Jansenio, & sequacibus, afferens pag. 38. objectionem Vasqui, Gonetii, Moranii, & aliorum, quæ hujusmodi est. Nullus puniri debet ob id, pro quo nec vituperari, aut reprehendi potest; igitur nec puniri. Respondet, dicendo: duo esse genera peccati: unum, quod est omnino liberum, & simpliciter peccatum: alterum, quod est peccatum, & pœna peccati, juxta doctrinam Augustini, & respondet, primum genus peccati committi cum libertate indifferentiâ, secundum

Augustino.

stino eodem loco operis imperfecti restringit ad solum peccatum Adami iisdem verbis Augustini, qui sic ait eo loco lib. 1. Oper. imper. cap. 48. Ipse est Adam, quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum dicerem; Peccatum est voluntas retinendi. Qui etiam eodem loco non vult comprehendere sub ea definitione libertatis cum indifferentiâ peccatum, quod est pena peccati, &c.

RESPONSIO P. MACEDI.

Hæc ait in Cortinâ quæstio. 1. art. 2. pag. 39. Id eum aliâs, tum perspicue lib. contra Julianum imperfecto 1. fol. 40. Augustinus exponit; Adam quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad peccandum, ac per hoc id egit, quod iustitia vetat, & unde liberum fuerat abstinere. Et quidem hanc partem definitionis in Adâ tantum peccatum quadrare docet, quod maxime liberum fuerit; non verò in peccata naturæ lapsæ, quæ cum non totâ libertate sunt, iis non est liberum abstinere. Rectius art. 4. pag. 68. ferram per eandem lineam ducit. Sed nihil, inquit, ad idem probandum fortius, & evidentius, quam illa ipsa definitio peccati antea proposita, & ab Augustino semel de peccato Adæ explicata peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere. Cum enim eâ definiti à se primum Adæ peccatum Augustinus semel, uti proxime diximus, declarasset, non negavit cum aliis item peccatis lapsæ naturæ convenire, quæ quidem propriè peccata sunt, id est quæ simili illi Adæ parentis libertate sunt: ac proinde penæ Peccatorum non sunt: cuiusmodi sunt ea, quæ ab homine iusto peccata committuntur. Et statim. Perspicue Augustinus lib. 1. contra Julianum Operis imperfecti proximam definitionem novâ, & excogitatâ ratione oppugnantem: Scias, inquit, aliud esse peccatum, aliud penam peccati, aliud utrumque. Intelligis, quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi, quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere; Peccatum namque isto modo definitum est, non penam peccati, non utrumque. Horum sane trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine ullo modo quæstionis occurrit: multa quippè sunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere, &c. Hæc ex Augustino, & cum Augustino Macedus. Profectò accusator insigniter imponit, dum ait P. Norisium famosam illam definitionem cum Augustino in eo loco Operis imperfecti restringere ad solum peccatum Adami. Nusquam hoc Augustinus, nusquam hoc ejusdem Sectator Noris autumavit. Nam oppositum in eo ipso loco Sanctus Doctor disertè pronunciat. Multa quippè, inquiens, sunt ea, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere. Igitur ea definitio aliis peccatis actualibus posteriorum Adami convenit; quod evidentissimè

rursus docet Sanctus Augustinus lib. 5. ejusdem operis cap. 60. Hoc unum Noris dixit ex Augustino, laudatam definitionem non competere peccato, quod est pena peccati. Audiatur Augustinus lib. eodem 5. cap. 47. Definitio itaque illa peccati cum sit, quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere, ad illud peccatum pertinet, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pena peccati. Hoc errarunt Calvinus, ac Jansenius, quod dixere, memoratam definitionem, soli Adami peccato posse adaptari, ut ex locis ab accusatore adductis ad oculum patet. Julianus ad auferendum peccatum originale passim, & ubique usus est illâ peccati definitione, cui constanter Sanctus Augustinus reposuit, eandem non quadrare in peccatum, quod est pena peccati, cuiusmodi erat peccatum originale, à quo nulli posteriorum liberum est abstinere, cum non per liberam volitionem personæ, sed per vitiatæ ex libero Adæ peccato naturæ necessitatem posteris insit. Porro Noris eo loci de solo peccato originali disputat. Fateor tamen, ipsum laudare illa verba Sancti Doctoris, quibus D. Pauli sententiam: Non enim quod volo, facio bonum, &c. Rom. 7. contra Julianum urgens, necessitatem peccandi exagerat: verum cum hæc peccata sint penæ peccati ex Augustino, & pertineant ad tertium genus peccatorum, à quibus non est liberum abstinere; sunt tantum materialiter peccata, imò mala potius, quam peccata, uti palam appellantur ab Augustino in textu, quem ex Norisio censor opposuit. Disertè S. Doctor illud Pauli dictum lib. 5. Oper. imper. cap. 59. explicat de motibus concupiscentiæ indeliberatis, præsertim cum Augustinus asserat, A postolum de se ipso ea pronunciasse. Quod autem idem Augustinus ibidem cap. 50. tradit de actibus deliberatis etiam intelligi posse, non est alia in eisdem necessitas adstruenda, quam moralis, quæ idem est, ac maxima difficultas, uti rectè probat P. Macedus pag. 96. suæ Cortinæ. Hæc notavi, non ut P. Noris dicta defenderem, cum ille tantum de peccato originali loquatur, à quo non est liberum posteris abstinere, sed ut Sancti Augustini sententiam, quam accusator fugillat, in bono, hoc est Catholico lumine collocarem.

ACCUSATOR.

Nec obiiciat Noris locos illos Libri imperfecti contra Julianum: Nam illi Libri sunt ambigui, nec indubitati inter opera Augustini, & nuper inventi, & in multis propositionibus corrupti; quarum una est illa, quam Noris adducit; continet enim con-

traditionem manifestam cum aliis, ubi perpetuè, & clarè Sanctus Augustinus docet ad merendum, & demerendum omnino reperiri libertatem indifferentiæ, &c.

RESPONSIO P. MACEDI.

Libros operis imperfecti, uti germanum Augustiniani ingenii sætum Macedus laudat sæpius in Cortinâ pag. 47. 61. 63. 64. 67. 69. 93. 94. 107. Imò textum Augustini ex lib. 1. cap. 48. ex quo Noris suam sententiam deduxit, in eodem omnino argumento Macedus adduxerat, ut ex eisdem verbis proxime laudatis ostendit. Idem Macedus ex Au-

gustino negat indifferentiam libertatis requiri ad merendum, & demerendum. Lege thesim 80. Cortinæ, & tres sequentes, in quibus indifferentiam à libertate distinguit. Libertas, inquit, ab indifferentia distinguitur: quod indifferentia est punctum indivisibile æquilibrium in neutram partem inclinans: libertas verò suscipit magis, ac minus, & patitur incli-

quati e-

nationes; & impulsus in utramque partem, quod non patitur indifferentia illa indivisibilis. Id fufius explicat in Libro de mente Innocentii adversus propositiones Jansenii. Tu videtis, ac discite nullam in Augustini dictis, quod libertatem ad merendum, & demerendum requisitam attinet, antilogiam reperiri. Cæterum sex Libros Operis imperfecti esse Augustini, validissime ex Conciliis à Sancto Martino, dein Sancto Agathone, Romæ coactis, & sexta etiam Synodo, ac Patribus antiquioribus Norisius demonstravit in appendice ad dissertationem de Synodo V. Hæc recitat Sancta Synodus VI. act. 4. ex Epistola Agathonis Papæ: *veritatis prudentissimus*

prædicator Beatus Augustinus in 5. volumine disputationis adversus Julianum Pelagianismam. Item in eodem: veritas autem dicit, quamdiu est voluntas ulla, à natura non potest separari. Hæc leguntur in calce cap. 53. lib. 5. operis imperfecti, ex cuius superiori capite 52. Norisius Augustini testimonium adduxit, de cuius fide accusator dubitat. Ex his Sancti Augustini libris duo Romana Concilia, ac postremò sexta universalis Synodus de Monothelitis triumpharunt; & audebit novus delator eosdem apud Romanæ Ecclesiæ Patres, uti Apocriphos, accusare? Pape: quàm cruditi homines Norisio litem intentant!

A C C U S A T O R.

Nona Baii damnata in Parallelo est in ordine 55.

Deus non potuisset talem ab initio, creare hominem, qualis nunc nascitur. Hæc propositio de concupiscentiâ communiter intelligitur, quasi reproberetur à Pontificibus, quia Bajus putabat, concupiscentiam esse per se malam, & vitiosam, non autem esse proprietatem naturæ, quamquam per peccatum vitiatam. In hoc autem sensu Noris negare debet, posse hominem creari cum concupiscentiâ; immò à fortiori, quia ille sentit eam esse naturâ suâ, & secundum essentiam malam. Ita in vindic. pag. 15. lin. 16. col. 1. ut, inquit, *evidens fiat, secundum*

propriam essentiam esse malam, non verò secundum imperfectionem annexam. Et postea: Tenet igitur Noris sententiam negativam, quam Papa prohibuit, in quocunque sensu sumatur: non potest enim esse vera, nisi affirmativa sit falsa; mens autem Pontificis fuit statuere affirmativam: scilicet Deus potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur, cum concupiscentiâ naturali, quæ est proprietas naturæ, uti communiter tradunt Theologi. Hactenus Parallelistæ.

R E S P O N S I O P. M A C E D I.

In hac communitate Theologorum, neque enim è vulgo scriptorum est, Macedum non invenies; transit olim ad illos, ad quos postea à Noris accessit, nempe eos, qui negant, concupiscentiam esse proprietatem naturæ, cum velint esse malum, ac vitium. Hæc sunt voces Macedi lib. 40. de clav. cap. 10. parte 2. pag. 370. col. 1. *Unde concupiscentia ne indifferens quidem esse potest, cum inclinet ex se ad peccatum, & peccati fomes sit, & effrenat à licentiâ fevatur.* Igitur malum est, quamquam non sit peccatum. Confirmatur: quia si ista libido esset proprietas Naturæ, & fluere ex ejus principiis, attribueretur Deo conditori, sed non decet Deum condere naturam cum illo modo, qui inducit ad peccandum, & oritur ex naturâ infectâ peccato; igitur non est innata: & hinc argumentum sumo contra Suarez, negantem posse à Deo esse habitum vitiosum vel per se, vel per accidens infusum in voluntate, eo quod inclinet naturâ suâ ad malum morale. Item: quomodo concedit posse Deum condere naturam cum libidine effrenatâ, quæ fomes est peccati, & ad peccandum inducit saltem per accidens, quod ille de habitu vitioso negat? Idem verò Macedus ibidem pag. 371. obiicit sibi Bullam B. Pii V. in quâ series propositionum Baii continetur, quarum LV. est: *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*: quod argumentum pluribus diluit. Respondet primo non omnes propositiones Baii damnatas esse, cum ipsa Bulla dicat: *Non nullas posse aliquo pacto sustineri: quarum certè una hæc est; & quidem si solitarie sumatur, & seorsim consideretur, certa omnino, & tuta est.* Respondet secundo. Dato damnari illam, uti vult Suarez, in eâ serie contentam, nihil inde sequi contra nostram sententiam; Nam ea solum damnatur, ut inquit Bulla, *in vigore, & proprio verborum sensu ab assertore intento, idest non solitaria, sed conjuncta, connexaque cum aliis, & ut cum illis consentiens; atque hoc modo continet perversam doctrinam*

Nam: Nam ex propositione 21. & 26. ejusdem Baii, in eadem Bulla relatis, constat, illum sensisse integritatem, & justitiam originalem non fuisse donum Dei, sed conditionem naturæ, ex quo etiam resultat hæresis alia quinquagesima, quæ ex consequenti negat, posse creari hominem sine integritate, & justitiâ originali, qualis nunc nascitur, qui sanè perverissimus est sensus, & minime ferendus, à quo longissime abest propositio illa solitaria sumpta, & à quovis alio Theologo pronunciata. Hactenus Macedo.

Ex his patet, totam illam Bajanam conspirationem, cujus Noris insimulatur, vel ipsius P. Macedi testimonio falsam, inanem, ac nullam esse. Profectò nec gutta guttæ similior est, quàm utriusque Scriptoris sententiæ, ut certè Noris furti reus censendus foret, cum Macedi theoremata planè transferisset, nisi uterque ex communi, eoque limpidissimo Augustini fonte eas doctrinas derivasset, quas postea in sua ipsorum volumina disperse. Sunt in eadem Augustinianâ Navi Macedus, ac Noris; contra utrumque Bajana tempestas excitatur, idem utrumque naufragium merget, vel benigniori sydere affante, unâ simul incolumes evadent, ac Augustini aræ votivas tabulas appendent. Noris eas sententias ex S. Augustini Libris evidentissime deductas, à Macedo his verbis tom. 2. Collat. 10. pag. 596. col. 1. animatus, propugnavit: *Quod objiciunt de Bajo, ut nobis terrorem incutiant, inane est. Jam illam formidinem supra removimus, & in mente Innocentii, & in Libro de Clavib. Petri. Eamque objectionem occupaverat, & diluerat Vasquez, Turrianus, Ripalda, & tota Schola Vasquii Complutensis. Quere hujusmodi ætiones in locis supra adductis: Diffabris inanem Nubeculam.*

Quòd verò accusator quasdam propositiones P. Noris conglomerat, quas similes Bajanis, nullo tamen Baii textu apposito, pronunciat, operæ pretium duxi easdem P. Macedi dictis simillimas demonstrare.

A C

A C C U S A T O R.

Prima. Homo ex peccato originali incurrit in privationem potentiae proximae expeditae ad perseverandum in semel accepta gratia sanctificante. *In Vind.* pag. 65. lin. 20. col. 2.

P. M A C E D U S.

Quaecunque igitur gratia leviter pulsat, citique voluntatem intra illos terminos actuum inefficacium, quos velleitates dicimus, ea est gratia sufficiens Augustiniana, in quam deflexit illud adiutorium sine quo non statim integri Adami, & Angelorum, quod per se in eo, & proximè tunc sufficiens erat ad operandum, dabatque integram potestatem, & expeditam propter sanas, & integras liberi arbitrii vires: at verò in nostro infirmo, & misero tantum remote jurat, nec est integrè, immediatèque sufficiens, &c. *In Scrinio Divi Augustini* cap. 8. pag. 81.

A C C U S A T O R.

Secunda. Capitale Massiliensium dogma fuit, communem omnibus esse gratiam. *Lib. 2. Hist. Pelag.* pag. 125. lin. 33. col. 2.

P. M A C E D U S.

Eiusdem est cum veteribus Massiliensibus sententia novorum Semipelagianorum Princeps Arminius, qui cum teneat universalem cum iis gratiam, Augustinum sibi contrarium fatetur. *Ibidem* cap. 12. pag. 197.

A C C U S A T O R.

Tertia. Adam habuit auxilium proximè sufficiens ad observationem cujuscunque praecepti. Et infra. Infero in statu naturae lapsae non omnibus dari, nec praesto esse illud adiutorium. *In Vindic.* pag. 42. col. 1.

P. M A C E D U S.

Quòd autem haec sit mens Augustini docentis auxilium, quod ex se omnino, & proximè, & integrè erat in statu innocenti sufficiens, nunc in statu ruinae minus sufficiens sit, atque adeò remote tantum, & uti diximus, imperfectè sufficiens, tradit expressè magnus hic Auctor Suarez, *Ibidem* cap. 8. pag. 83.

A C C U S A T O R.

Quarta. Reicienda est sententia illorum, qui dicunt gratiam sufficientem semper adesse, nec unquam legem obligare, nisi addat gratia adjuvans. *In Vind.* pag. 43. lin. 31. col. 1.

P. M A C E D U S.

Respondetur ex doctrinà Augustini, & Tridentini saepius traditâ, satis esse illud auxilium remorum ad vitanda peccata, non immediatè, sed mediatè. Nam constat ex utriusque sententiâ per id auxilium fieri voluntates inchoatas, quae sunt initia quadam boni, quae cum sint facilia, per illud obtinentur, & iis habitis, majus illud auxilium impetrari, quo praecepta servantur. *Ibidem.*

A C C U S A T O R.

Quinta. Infideles cum in Christum non credant, Dei gratiam ad implendam legem naturalem non petunt, unde nec eandem observant. *In Vind.* pag. 44. lin. 31. col. 1.

P. M A C E D U S.

Verùm cum Augustinus Auctor sit, omnia opera, quae deliberatè ab infidelibus sine ullâ fide, & gratiâ sunt, esse peccata, uti nos cum multis in Cortinâ nostrâ propriâ questione monstravimus; necesse est aliter eidem arguimento respondere: nam & sententia Augustini supponit sine ullâ fide, & gratiâ, idest sine ullo auxilio sufficienti peccari; quandoquidem opera ita operantium deliberata peccata sunt. *Ibidem* cap. 14. pag. 238.

A C C U S A T O R.

Sexta. Dum petis, vel antequàm petas, stas sub lege praecipiente, & nondum habes gratiam adjuvantem: tunc enim non potes facere, quod lex jubet. *In Vind.* pag. 43. lin. 20. col. 1.

P. M A C E D U S.

Ecce enim ajunt, nempe Augustinus, ac Tridentini PP. facere quod possis, & petere, quod non possis. Ex quo patet, posse nos eo auxilio aliquid, idest exilè, & facile; aliquid non posse, idest illud magnum, & difficile, ad quod sumus ulterius adjuvandi à Deo, ut possumus. *Ibidem* cap. 8. pag. 82.

A C C U S A T O R.

Septima. Illud ex Augustino certum est, neque fidem posse movere hominem ad petendum auxilium Divinum, ad hoc ut possit implere praecipitum, nisi Deus infundat gratiam actualem ad operandum. *In Vind.* pag. 43. in calce col. 2.

P. M A C E D U S.

Non solùm datur gratia excitans propter difficultatem, & excellentiam operis supernaturalis, quae indiget excitatione potentiae, sed ex aliâ ratione conaturali, quae postulat, ut habitualis virtus (v. gr. fides) excitetur per motionem actualem, ut videmus fieri in hominibus justis, & sanctis, qui cum habeant gratiam sanctificantem, & habitus infusos, tamen sine excitatione actuali voluntatis non possunt eos exercere. *Ibidem* cap. 5. pag. 4.

A C C U S A T O R.

Octava. Urgente quolibet præcepto non adest gratia necessariò sufficiens, nisi intermedià oratione

actuali. In Vindic. pag. 42. 43.

Est mera impostura; nunquàm illa sententia apud Norim legitur. Nunquid enim Paulus orabat, dum tam illustre divinæ gratiæ lumen accepit? P. Noris pag. 43. in calce: col. 2. disertè tradit, posito præ-

cepto, quandòque auxilium proximè sufficiens præstò esse; aliquandò oratione intermedià impetrari: & utrumque Sancti Augustini testimonio confirmat.

A C C U S A T O R.

Nona. Infideles sinè fide manent tantùm sub lege

præcipiente. In Uindic. pag. 44. lin. 20. col. 1.

P. M A C E D U S.

Quod ad hos, nempe infideles, attinet, videntur gratiâ sufficienti prorsus carere: his argumentis. Primum est. Fides est ostium gratiæ: sed infideles carent omni notitiâ fidei: ergo carent omni auxilio gratiæ. Ibidem cap. 11. pag. 157. Auxilia, quæ his hominibus infidelibus dantur, si qua sunt, ea sunt remotissima, &

à fidelium sufficientibus tantùm distant, ut vix appellari auxilia possint. Igitur non erit ab re negare, illa auxilia esse. Pag. 160. P. Noris concedit dari Infidelibus auxilia remota, ut ex propositione 12. statim patebit.

A C C U S A T O R.

Decima. Positâ tentatione: Adamus neutiquàm, nisi inaniter, petiisset vires eidem resistendi. Ibi-

dem pag. 42. lin. 18. col. 2.

P. M A C E D U S.

Consequenter dicere debent, nec sufficientia, nec efficacia auxilia petenda esse à Deo, cum sufficientia semper adsint, & efficacia sint in potestate operantis, cum ab illius consensu desumantur. Lib. 3. de clavibus Petri cap. 3. pag. 171. col. 1. At efficaciam adiutorii sinè quo non Adami in potestate ejusdem fuisse, secluso quolibet ulteriori auxilio, probat egregiè Ma-

cedus integro volumine; quod scrinium nuncupavit. Audiatur pag. 40. Erat enim illud Adami adiutorium Possibilitatis, excitans proximè, & constituens in actu primo potentias, aptè illustrans intellectum, & cogens voluntatem, ut Nihil ei ex parte adiutorii deesset ad agendum, si vellet agere prò suo arbitrio.

A C C U S A T O R.

Undecima. Ex Sancto Doctore probavimus non durius loqui, qui asserat in hypotesi, quòd sola lex jubeat, nec gratia proximè sufficiens adsit, eam-

dem legem obligare, & transgressorem reum esse peccati. Ibidem pag. 44. lin. 29. col. 2.

P. M A C E D U S.

Verum quidem est utrumque: non omnibus gratiam præstò esse, nec sinè illà rectè agi posse, cum utrumque sit Augustini: Non tamen inde sequitur: peccari in eo, quod vitari nequit. Potest enim cum necessitate in specie stare libertas in individuo, & sublatâ libertate contrarietatis, manere libertas contradictionis. Undè non

repugnat, hominem infidelem sinè gratiâ esse determinatum ad unam tantùm partem contrarietatis, idest ad malum in specie, & tamen esse liberum ad actus malos singulares, atquè aded libertate peccare. In Cortinâ quaest. 1. art. 7. pag. 99.

A C C U S A T O R.

Duodecima. Infideles habent auxilia quædam remota, undè non patiuntur antecedentem necessita-

tem peccandi, & ideò non exeusantur. Ibidem pag. 44. lin. 38. col. 1.

P. M A C E D U S.

Auxilia, quæ his hominibus infidelibus dantur, se qua sunt, ea sunt remotissima, & à fidelium sufficientibus tantùm distant, ut vix appellari auxilia possint.

In scrinio cap. 11. pag. 160. Viden, ut rigidius quam Noris, loquatur.

A C C U S A T O R.

Tertiadecima. Sententia Augustini de prædestinatione ad gloriam sinè ullis præviis meritis, est

doctrina de fide. In Vindic. pag. 45. 94. 108.

Hæc propositio nusquam legitur in locis citatis. In Vind. pag. 94. lin. 39. col. 2. scribitur. Hormisdam sententiam Sancti Augustini de gratiâ prædestinatione probasse. At ex his non infert esse doctrinam de fide: nam Pontifices ita approbant etiam sententiam Immaculatæ Conceptionis, quin eandem, uti de fide, credi velint. Pag. 108. lin. 53. col. 2. scribitur

Petrum diaconum, ac Ecclesiam Lugdunensem sententiam laudatam, uti dogma Catholicum statuisse. Hoc constat ex libro Petri Diaconi de Incarnatione, & gratiâ cap. ultim. & ex opusculo de tribus Epistolis cap. 35. Legatur Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 11.

A C C U S A T O R.

Quartadecima. Concupiscentia secundum propriam suam essentiam est mala, non autem secundum

dum imperfectionem annexam. In Vindic. pag. 15 lin. 16. col. 1.

P. M A C E D U S.

Unde concupiscentia ne indifferens quidem esse potest, eum inclinaret ex se ad peccatum, & peccati fomes sit, & effrenatâ licentiâ feratur. Igitur malum est, quamquam non sit peccatum. Itaque vitium nature est, contractum ex peccato, non proprietas innata. Lib. 4. de

Clavibus cap. 10. pag. 370. Ita habitus vitiosus est essentialiter malus, non per accidens ob imperfectionem annexam, quia imperfectio ipsa pertinet ad essentiam, seu formale constitutum illius.

Ex collatis hucusquæ utriusque scriptoris sententijs, optimè, Illustr. Domine, intelligis, Noris assertiones, non quidem Bajanis erroribus similes, sed doctissimi Macedi thesibus esse simillimas. Macedus eo in stadio Norisio Augustinianam lampadem prætulit, quo procùl à Bajanis præcipitijs, regiam ad veritatem viam inoffenso pede calcaret. Itaque lusit operam trutinator, dum Baij, ac Noris sententias geminâ veluti lance exequare conatus est; nam apparere mendaces filii hominum in stateris. Unus Macedus libripendit imperitiam, neque enim dolum dixero, propalavit, ac Norisium invidiæ, quam eidem ex Bajano nomine librator consciverat,

exemit. Ita eruditus, ac optimus senex nullo aut pretio, aut prece conductus, imò nequidem cogitans tam amicum, tam strenuum, tam deniquem invictum Noris advocatum egit. Quod tamen non ex destinato Norisio profuit, nullum eidem fortè beneficium contulisse videri possit: Nam, ut inquit Seneca lib. 6. de Benef. cap. 8. Beneficium aliquis nesciens accipit, nemo à nesciente. Verum quoddam toties in illum tam liberali manu laudes effudit, ac Sancti Augustini sententiâ à Bajano errore vindicavit, plurimum eidem gratiarum Norisus referet: certè debet.

